

dominus papa sic iniungat negocium vestrum, ut si ille vester molestator silere noluerit, coram illis personis proclamet et ipsi iudicent inter vos sitque illorum iudicium ratum atque irreprehensibile. Hoc vero ita fieri propter vestram commoditatem excogitavimus et, ne Romam repetere egeatis, magnopere cavemus. Nam dominus papa totaque simul curia ista vobis nimium condescendit, quoniam et vultu et sermone nobis omnibus complacetis. Et hoc quod secus pedes domini nostri sedetis, honoris est delatio, et eligendarum personarum optio in vestro ponitur arbitrio. Inclinando vultum respondit abbas: Per omnia gratias agens magis volo et opto, ut dominus papa seu curia sua hanc electionem faciat, sic tamen, ut notos adversarios non opponat. Papa dixit: Et qui sunt tibi adversi? Respondit abbas: Dominus Cathalaunensis¹ et dominus Atrebatensis.² Papa subridens ait: Nos istis bene credimus et de illorum veritate atque religiositate confidimus, quod nunquam tibi aliquod iniustum facient. Abbas ait: Quamvis valde boni, tamen mihi suspecti sunt: Cathalaunensis, quia sancti Medardi abbas fuerit; Atrebatensis, quia totam istam molestiam ipse concitaverit. Et ut Ieronimus³ dicit: Quid opus est certa relinquere et incerta sectari?: habet Francia alios viros non inferioris gracie, quorum iudicium non pavesco. Papa dixit: Si hos reicis, quos accipis? Respondit abbas: Si liceat, dominum Morinensem⁴, dominum Carnotensem⁵ et aut Laudunensem⁶ vel Suessionensem⁷ accipio. Cancellarius ait: Non tibi dabitur dominus Carnotensis, quia et a te longinquus et Romanis negociis occupatissimus est, nec Laudunensis, quoniam optinuit, ut nulla sibi causa preter propria imponatur; Suessionensem idcirco non damus, ne inter ipsum et sancti Medardi abbatem litem aut discordiam seminasse dicamur. Provide bonos viros, qui sine simulatione iudicent^a, episcopos vel abbates, et quibus nulla suspicio ab aliqua parte imponatur, et sint iudices huius negotii. Abbas alacrior dixit: Libenter accipio dominum abbatem Clarevallensem

^a) *iudices*.

¹) Gaufrid, Bischof von Châlons-sur-Marne, 1131 — 27. (28.?) Mai 1142, war 1120 — 1131 Abt von St. Médard gewesen. ²) Alvisus,

Bischof von Arras, 1131 — 1148. ³) adv. Vigil. 17 (col. 400 Vall.).

⁴) Milo, Bischof von Térouane, 1131 — 16. Juli 1158. ⁵) Gaufrid II. von Lèves, Bischof von Chartres, 24. Januar 1116 — 24. Januar 1149.

⁶) Bartholomaeus de Iura, Bischof von Laon, 1113 — 1151. ⁷) locelinus von Vierzy. Bischof von Soissons, 1126 — 24. Oktober 1152.